



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Alius per Bellarmini scripta co[n]uersus. n. 8.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

1611. (quos omnes aspirante Deo efficiam Catholicos) dedistis animo consilium, exhibete corpori auxilium; non possum plura præ &c. Hac autem utcumque se habeant, non solum paratum cor meum, paratum cor meum, sed & fixum cor meum, fixum cor meum, adiuuante me Deo, quæcunque in labore facere, quæcunque in dolore pati, citius quàm à fide Catholica Ecclesiæ Romanæ amoueri: Nunc enim post nimbos sol; post tonitru Cælum serenum; tranquillior iam facta est conscientia, Deo gratias, solidior iam fides, firmata mihi pax: Nauis mergitur vel quia infirma, vel quia tempestas opprimit, vel quia Nauclerus dormit: Anima parua est; Deum igitur Patrem inuoco omnipotentem ut in virtute sua corroboret meam infirmitatem; Deum Filium sapientem, ut imperet ventis superbiæ, & conculcet fluctus mundi ne animam obruant; & Spiritum Sanctum, Deum bonum, ut me semper expergeficiat suis inspirationibus, ne vnquam requiescam in securitate, aut propter peccata obdormiscam in morte. Idem Deus in Trinitate vnus, & in vnitrate Trinus Reuerentiam vestram & anima & corpore seruet incolumem. Datum nono Iulij Anno Domini 1605.) Scripta sunt ista à nondum Ecclesiæ conciliato: Annus vix labitur; mittitur Carolus Cornwallis Orator in Hispanias: Hunc sequitur iste, & non longo interuallo redditus Ecclesiæ donatur à Rege verè Catholico assignatione pecuniæ quanta illi, vxori, liberis sufficeret sustentandis.

Alius per  
Bellarmini  
scripta cõ-  
uersus.

VIII. Iungamus & tertium quartumque eiusdem generis homines qui non *Personij* quidem libris, sed scriptis Bellarmini & similibus lucem acciperunt & gratiam, fortunam locupletem ut spernerent famamque vulgi præ animæ in Catholica securitate. Ex quo & illud colligi poterit, quod quamuis ex plebeis fortasse plurimi possint ignorantia non vincenda laborare, & ab hæreseos aut Schismatis vitio liberi esse, quoniam aliud nihil contingit legere aut audire præterquam quod odium prouocet rectæ Religionis; inter doctiores tamen difficulter possit quisquam esse immunis, quin videat meliora, probetque, sequatur vero deteriora, vel obstinatione iudicij, vel rerum amore mundanarum: de quibus Apostolus ad Titum: *Hæreticum hominem post vnâ & secundam correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est, cum sit proprio iudicio damnatus.* Etenim quamquam nullum habuerint externum monitorem qui eos verbo corripere, inter tam multos tamen quos versant libros Theologorum, Concionatorum, Historiographorum non possunt non vehementi tangi dubitatione an rectam incant ipsi viam qui à Romano-Catholica discesserunt. Ex his vnus suam his verbis explicat conuersionem ad Cardinalem scribens.

Reuerendissime & Illustrissime Domine. Si mihi licuisset in Anglia veritatem scriptorum vestrorum vel ignorare, vel asserere, nunquam credo literarum ad vos peruenissent in Italiam: Cùm autem neque doctrinæ vestræ lumen declinare, neque iniquissimorum hominum calumnias ferre possem domi, relictis omnibus meis libris in Museo meo Cantuariensi, simul cum reliquis bonis ac fortunis vniuersis, me per occasionem aquarum spadanarum  
& itineris

& itineris Palatini subdixi, & apud vestros Colonienſes Catholicae Eccleſiae in aeternum addixi. Itaq; bono iure me ad Illuſtriſſimam Reuerentiam veſtram ſcribere debere exiſtimo non tam vt opem veſtram implorem ad calamitates exilij ſuſtinentas, quam vt gratias agam de animae libertate & ſalute. Fui quidem nuper & à multis iam annis Regius Concionator, & cum bona ipſius gratia Canonicus Cantuarienſis; decanus Teringenſis, Reſtor Romanenſis, & Vicarius Themtramienſis; ſed Eccleſiae Catholicae communionem, veſtra poſſimum opera mihi commendatam, non ſolum rei iam parte ſed etiam ſpei multo ampliori libentiſſimè prætulì. Quamobrem Illuſtriſſimae Reuerentiae Veſtrae gratias ago quam poſſum maximas, non ſolum nomine meo, ſed plurimorum in Anglia virorum doctorem qui de lumine veſtro lumen ſuum & ardorem quotidie accendunt: Et humiliter ab eadem peto vt hoc meum officium boni conſulat, & me ſuis commendationibus iuuet, & benedictione confirmet. Deus opt. max. ad pacem Eccleſiae & conuerſionem Angliae veſtram ſeneſtutem aequilinaſ faciat. Leodij datum Ianuarij 10. 1614. apud Patres Societatis Ieſu.

Veſtrae Illuſtriſſimae Reuerentiae deuotus & humilis.  
Beniaminus Antonius Caricius Anglus Th. Doct.

Ad quaë Bellarminus. Admodum Reuerende & Doctiſſi. Domine. Lite-  
rae tuae lætificauerunt animam meam: Egi gratias Deo quam potui maximas pro dono gratiae ſingularis tibi collato, & Nobis per communicatorias literas inſinuato. Paucis enim datum eſt vt inter tot Schiſmatum & hæreſeon tenebras veram Eccleſiam internoscant, ſed paucioribus vt ita cognitam diligant vt temporalibus commodis & honoribus, ac poſſimum Regijs fauoribus (vnde illa tanquam à perenni fonte ſcaturiunt) magno animo ſpretis, ad eius amplexum accurrant. Quod ſi in exilio iſto voluntario ærumnas & anguſtias propter Dominum tolerare te oporteat, beatus eris: dignus videlicet effectus non tantum vt in Chriſtum verè credas, ſed etiam vt pro illo patiaris: Nam quemadmodum nihil erit in futuro ſæculo beatius quam eſſe Chriſto ſimilem in gloria; ſic in præſenti tempore nihil eſt vtilius quam eſſe Chriſto ſimilem in paſſione: hinc enim oritur gaudium illud ſolidum & perpetuum quod nemo tollere poteſt à nobis, de quo Apoſtolus loquitur cum ait, *Repletus ſum conſolatione; ſuperabundo gaudio in omni tribulatione noſtra.* Neque hoc dico quod operam meam in te ſubleuando præſtare nolim, ſed quia ex corde gratulor tibi non ſolum de coniunctione cum Eccleſia Catholica, extra qua non eſt ſalus, ſed etiam de pretioſo patientiae dono quo te à Deo noſtro inſignitum mihi videre videor. Iam verò quod ad me attinet, nihil eſt quod mihi gratias agas; nam *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat eſt aliquid ſed qui incrementum dat Deus.* Etego quod à Matre Catholica ſuxi, hoc alijs miniſtraui. Si quid in ſcriptis meis vel minus doctè, vel minus per-  
Ecc 2 ſpicuè

1611. spicue, vel minus solide positum est, id solum mihi attribuo. His valeas, vir optime, & doctissime, mei memor in Sanctis precibus tuis. Datum Romæ 14. Februarii. 1614. Cardinalis Bellarminus.

Doctor  
Pricius.

Hic sub *Iacobo* Rege spes suas resque dimisit, viuens & valens, vt Christum nudus potius sequeretur ad sponsæ amplexus, quam splendide vestitus in Aula terrestris Regis Cathedram teneret pestilentia. Alter eiusdem gradus & loci apud *Carolum* Filium, cum magni esset nominis & auctoritatis, mori voluit Catholicus, stupente Rege & Aula vniuersâ, latius existimans (vt quidam non infacetè respondit Regi interroganti) animam committere Naui Petri, quam cymbæ Caluini. Atque hæc ostendit Deus per interualla conuersionum exempla vt alij vel discant sequi, vel sua negligentia exclusi condemnentur. Redeamus nunc ad ea quæ nos propius contingunt.

Edmundus  
Neuillus  
senior.

I X. Annos ætatis numerabat *Walsinghamius* triginta septem quando ad Societatem accessit: *Edmundus Neuillus* eiusdem anni Tyro lex & quadraginta: quem familia ortum perillustri prædiues patrimonium in *West-morlandiæ* comitatu velut hæredem sequebatur, si tempori oblectandare statuisset: sed spe æternorum præsentium vincente speciosam ostentationem, prætulit opprobrium Christi principum delicijs, & Societati se adiunxit Sacerdotio initiatus. Annos vixerat octoginta septem, quando ardente bellis ciuilibus *Inulâ*, lecto à multo retro tempore affixum rapiunt Parliamentarij milites, & impositum carrucæ & vix spiritum ducentem auerunt ad quoddam quod in vicino erat oppidum, & tradunt custodia; At neque in vinculis dereliquit eum Deus; prouiderat enim illi Matronam piam quæ & sumptum omnem faceret, & tanquam parenti ministraret: exactis in ea custodia mensibus nouem, quam libertatem inuiderant Religionis hostes, solutis corporis vinculis à Deo obtinuit.

Præter illam verò quæ tyrocinio est propria culturam animorum, proximo etiam porrecta suat auxilia, quotannis aliquot spiritualibus exercitationibus excolendo, alios patrio solo extorres solando, & ad toleranda quæ incidunt ardua confirmando, militibus qui ex vicinis *Hollandorum* castris profugiunt docendis ea quæ ad fidem & vitam Christiano dignam spectant, ijs denique qui stipendia sub *Hispano* merentur erudiendis. Quæ atque his similia cum per annos singulos recurrant, semel dixisse satis est, vt ex primis sequentia intelligantur. Annus autem eius sæculi decimus (qui fuit *Personio* vltimus) non tyromum tantum aucto munero (censebantur enim duo & viginti; Sacerdotes videlicet vndecim, & totidem rerum domesticarum Adiutores) sed noui etiam spe Collegij fuit celebratus, in quo ex Tyrocinio in posterum translati iuniores Philosophicis Theologicisque disciplinis darent operam, prouectiores docendo scribendoque orthodoxam fidem defenderent ac propagarent, vt tanti viri iacturam hac noua accessione Deus lenire voluisse videatur.

X. Iaco.